



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Agenda S. Coloniensis Ecclesiae. Hoc Est: Liber Pastoralis

Ferdinand <Köln, Erzbischof>

Coloniae Agrippinae, 1614

De cura fidelium ægrotantium, & primum remedia ægrotis suggerenda,
aduersus animi morbos & tentationes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39761

fit super nos semper. Per Dominum nostrum Iesum Christum. **Resp. Amen.**

Postea domum & habitatores eius benedicat, dicens:

Benedictio Dei omnipotentis Pa ✠ **tris,**
& Fi ✠ **lij, & Spiritus** ✠ **sancti, descendat**
 super hanc domum, & omnes habitantes in
 ea, & maneat semper. **Resp. Amen.**

Et aspergat aqua benedicta.

DE CVRA FIDE- LIVM AGROTAN- TIVM.

ET PRIMVM REMEDIA A PA-

*storibus suggerenda agrotis corpore aduersus animi
 morbos, & varias quibuscum subinde consti-
 tantur sentationes.*

I.



Datorum omnium Princeps IESVS Christus, in extrema illa, quam ad Apostolos partim, partim ad Patrem suum post coenam vltimam habuit oratione; inter multa seruasse se ait illos, quos Pater ipsi seruandos tuendosque crediderat: Et Ioannes Apostolus de Christo; cum suos (inquit) dilexisset qui erant in mūdo, in finem dilexit eos. Hæc sollicitudo, & ille paternæ caritatis affectus semper quidem, & ad omnia humanæ vitæ momenta in Pastoribus omnibus debet relucere: sed tum maximè, quando ouiculæ quas curandas susceperunt in extrema rerum humanarum catastrophe, à rapacibus lupis, vehementiùs imperantur: vnde aut vitæ aut mortis

mortis perpetuæ fors dependet. Dolendum proinde tam supinos esse ple-
rosque Pastores, qui damni & periculi huius magnitudinem non satis æ-
stimantes; post Sacramentorum, perfunctoriam sæpè administrationem,
nullum, aut vix vllum ægris ouiculis officium impendunt: non visitant,
non solantur, non instruunt, & in extremo etiam agone constitutis (vbi
maximè vertitur salutis negotium) penitus negligunt. Ad quam emen-
dandam multorum Pastorum supinitatem, subiicimus hic breuem instru-
ctionem, è qua ipsi doceantur, quid ægrotis, ac deinde etiam quid morien-
tibus debeant. Et vt variæ sunt ægrotantium tentationes, & varij affectus;
ita boni & prudentis Pastoris erit, pro varia illorum conditione, subiecta
remedia adhibere; nec exspectare semper donec ad ægrotos vocetur; sed
sponte illos quos ægrotare nouerit adire, & ad Sacramentorum susceptio-
nem aliaque salutis amplectenda remedia commonefacere.

II. **A**c primo quidem loco, valde frequens est, vt ægroti nimio amore de- Remedium
aduersus ni-
miam vitæ
præsentis &
morem.
tineantur conseruandæ vitæ præsentis; & ea cogitatio ita detentos eos ha-
beat, vt de salute animæ minimum cogitent: nec possint in Dei se volunta-
tem resignare. His igitur proponet Parochus quod res est: non habere nos
hic manentem ciuitatem; & omnino, tardiùs aut citiùs moriendum om-
nibus esse: & si vitæ hæc præsens quæ (sicut Gregorius dicit, mors potius
dicenda quàm vitæ) suauis videtur, quæ omni genere molestiarum, labo-
rum, ærumnarum, periculorum plena est; adlubescere magis debere nobis
vitam futurâ; à qua sæpenumero homines tantò magis alieni redduntur,
quantò diutiùs ducunt vitam præsentem. Vita longa accumulât homini-
bus peccata quæ à Deo elongant. Contemnenda igitur vitæ præsentis, quia
misera & mortalis: & quia cum nascitur homo, ad mortem tendit. cum verò
moritur, tum verè incipit Deo viuere, & ad æternam vitam transire: vt
rectè propterea quoque dixerit Sapiens, meliorem esse diem mortis die
natiuitatis. Inde quoque sanctis omnibus, mortis dies optabilis fuit. Diui-
næ Maiestatis voluntati atque imperio omnes subiecti sunt mortales, nec
illius manum effugere quisquam poterit; qui infernum hunc locum pere-
grinationi, non habitationi nobis destinari. Illi ego, quos transeuntis hu-
ius vitæ immodicus occupat amor, & qui ægrè ad diuinam voluntatem
se accommodant; instruendi sunt ab exemplo Christi Saluatoris, qui in
acerbissimis montis Oliuarum angustijs passione sua imminente positus,
etsi caro infirma videretur, spiritu tamen prompto ac alacri in sui Patris
se voluntatem offerebat. Quidni & nos hoc faciamus? qui vt non possi-
mus diuinæ resistere voluntati, ita certissimè persuasum habere debemus,
quicquid de nobis decreuerit Deus; volentibus, nolentibus nobis, omninò
euenturum esse. Considerandum deinde, quanto sæpè cum periculo nimia
istâ recuperandæ sanitatis fiducia coniuncta sit: quodque incertissimus sit
illius

illius euentus; ac proinde eos qui fiducia illi nimium insistentes, Sacramentalem facere differunt confessionem, quæ debent alijs restituere negligunt, offensas proximis non remittunt; salutaribus hisce præfidijs, destitutos, nec munitos ecclesiasticis Sacramentis; non raro inopinata præoccupari morte, ac sese ipsos in sempiternæ damnationis foueam præcipitare.

*Contra inordinatum re-
vum tempo-
ralium affe-
ctum.*

III. Altera tentatio oritur ex nimia anxietate & sollicitudine circa res fluxas & perituras, circa rem familiarem, fortunas, consanguineos, amicos, à quibus ægrè diuellitur affectus humanus. Et inde fit sæpenumero vt sui suæque salutis obliuiscantur ægroti. Idecirco vel dum adhuc sani sunt, vel mox cum primum ab ægritudine occupantur, de rebus illis debent statueret vt expediti ab illis ad cogitationes meliores, magisque ad salutem necessarias, animum suum transferre, & tanquam paulò post morituri, domui suæ benè disponere queant. Nec ferendum vt ægroti à propinquis vel amicis pro legatis, aut inter viuos donationibus multum interpellentur: ne ab vtilioribus magisque salutaribus cogitationibus, animi illorum distrahantur.

*Contra tenta-
tiones in-
fidelitatis.*

IV. Sed & fidem infirmorum non parum exagitat dæmon, vt eam vacillare faciat, aut etiam subuertat. Et magno omnino studio in hanc rem incumbit dæmon, vt submoto fundamento, vniuersa structura concidat. Obijcit languenti animo, illa quæ creditu sunt difficiliora, & impossibilia videntur. Hui tentationi confestim occurrendum, ne quid dubitationis perniciosa in animum ægrotantis irrepat. Sit igitur stabilis ægroti mens oportet, & perfidiam omnem, omnes superstitiones, errores ac hæreses omnes semper detestetur. Sit stabilis in eo quoque, vt profiteatur firmiter se credere quicquid Ecclesia sancta & Catholica credit. Dicat sæpè cum cæco illo sanato. Credo Domine, adiuua incredulitatem meam, & illud Apostolicum; Domine adauge nobis fidem.

*Contra de-
sperationis
tentationes.*

V. Si fidem infirmi frustra turbare se & impetere conspiciat dæmon, spera illius nititur labefactare; accusans & aggrauans eius peccata, & peccatorum multitudinem commemorans; ingratitude quoque exprobrans erga Deum, & misericordissimæ redemptionis pretium; sed non debet deiici animo qui his cogitationibus anxiatur, quin verò galea salutis, hoc est Christiana spe roborari debet, & cogitare quod vnica gutta dominici cruoris, vniuersis totius mundi peccatis expiandis suffecisset, si non voluisset Christus superabundanter pro nobis satisfacere. Animare & erigere illum debet cogitatio illa, quod gratis, & ex mera Dei misericordia in fortem sanctorum vocatus sit, quod sit cælestis Ierusalem adscriptus ciuis; quod partem habeat in meritis Deiparæ Virginis, omnium Sanctorum totiusque Catholicæ Ecclesiæ; quorum omnium intercessione ac meritis,

euasit.

euasurum se speret periculum imminens & transiturum à morte ad vitam. Præcipue verò ante oculos statuere sibi debet, agonizantem in horto Christum, & ab Angelo propter nos confortatum, flagellatum Christum, coronatum spinis, baiulantem crucem, crucifixum, mortuum & sepultum; cum illo & in illius misericordia mori optans; & misericors iudicium non ex meritis suis, sed ex effusa Christi misericordia expectans, peccata denique sua omnia in profundam diuinæ misericordiæ & vulnerum Christi Saluatoris abyssum proiciens.

VI. **C**ontra præsumptionem quoque armari aliqui debent, qui per phylautiam, dæmone suggerente, sibi placent, nimiumque confidunt in his, quæ rectè in hac vita fecisse sibi videntur, tanquam si diuina misericordia non admodum indigerent. Vana prorsus, inflans, & mendax istiusmodi persuasio est; cum nesciat homo, amorè an odio dignus sit: & rectè dicit August. de matre sua Monica scribens, Væ etiam laudabili vitæ hominum si absque misericordia iudicetur. D. quoque Gregorius scribat; iustitiam nostram, si ad examen iusti iudicij Dei deducatur, videri iniustitiam, & sordere in conspectu illius. Qui ergò placere Deo nituntur, post tergum semper proiciant si quid rectè fecerunt; & ea quæ retro sunt obliuiscunt (sicut loquitur Apostolus) in anteriora se ac ad maiora amplioraque se semper extendant. Vox filiorum Dei quæ assidue in ore illorum versari debet est ista, *Peccauimus iniquitatem fecimus Domine in omnem iustitiam tuam.* Et, *Domine non secundum peccata nostra facias nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. Nihil dignum Domine in conspectu tuo egi: ideo deprecor Maiestatem tuam, vt tu Deus deleas iniquitatem meam.*

VII. **N**on raro etiam impatientiæ morbus inuadit ægrotos; si aut intendantur dolores, aut productior sit morbus, & diutissimè excrutiet. Ab intensis illis doloribus, mens sæpenumero obnubilatur & tenebrescit; vt de Deo sponte cogitare vix queant ægroti; vix aliena consilia & consolationem admittant, sæpè etiam in murmurationis vitium aduersus Deum prorumpant: sed monendi ex Apostolo; quando Dei talis est voluntas, patientia opus esse; vt benefacientes promissionem reportent. Et quidni in correptione & castigatione sint patientes; quum Deus illos diligere se dicat quos corripit, & tanquam Pater in filiis sibi complacet. Sed & peccatis nostris adscribenda omnis illa à Deo immissa castigatio; qui sempiternam iram suam, in temporalem hanc castigationem misericorditer, & pro suo beneplacito sic commutat. Ab omni igitur impatientia, omni murmuratione & blasphemia retrahendi ægroti; Cogitandum quod res est, & proponit Paulus Apostolus; *quod non sunt condignæ passionis huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Passio omnis & pœna breuis est; merces perpetua. Hoc est quod Paulus iterum dicit. *Momentaneum*

2. Corint. 4. *neum hoc & leue tribulationis nostrae, supra modū in sublimitate æternum gloria pondus in nobis operatur.* Denique audienda est illa vox Pauli: *Recogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum se contradictionem, vt non fatigemini animis vestris deficientes.* Et, *respicite in autorem fidei & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempna.*

1. Corint. 10. Certè enim Christus pro nobis in angustiis, doloribus, & contumelis patibuli sui, pugnans & vincens, illud nobis meruit, vt (si fidimus in illo) non tentemur supra id quod possumus, sed faciat nobis cum tentatione prouentum vt possimus sustinere. Pugnat ipse pro nobis, & in nobis pugnat: qui expansis in cruce manibus, præsentem se nobis exhibet in tribulatione, vt eripiat, vt glorificet, vt longitudine dierum adimpleat, & ostendat nobis salutare suum. Si fidimus in misericordia & in adiutorio ipsius, non deerit vnquam, nec obliuiscetur pugilum suorum, ipse pugilum Princeps & Agonothetes, vt per hæc certamina, ad vitæ cœlestis coronam perducat.

VIII. Hoc ergò superest, vt per Dei gratiam & salutis monita infirmus eò adducatur, vt liberè se in Dei resignet voluntatem; vt cum B. Gregorio dicat: *hïc vre, hïc seca, vt in æternum parcas.* Quòd si post hanc vitam decreuerit punire Deus; & castigationem quæ hic deerit, supplere; ad illam quoque se voluntatem offerat indifferentem: dummodo non arguatur in ira Domini, neque in furore eius corripiatur: dicatque cum Propheta: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum;* hoc est, in vtrumque sum paratus, vt de me statuat tua pietas quod meæ saluti conducit in vitam æternam.

IX. Qui igitur has quas diximus tentationes ad eum modum superauerit, & in diuinæ se voluntatis arbitrium totum obtulerit; non timebit imminentem mortem; sed cum fiducia, misericors iudicium expectabit; & totus rapietur ac anhelabit ad amorem vitæ cœlestis, vbi cum Deo & Angelis eius regnet in perpetuum.

CVRA